



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Nucleus Practici Tractatus, De Legibus**

**Marchius, Ewald**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661**

§. IX. De dilationibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42256**

juxta Libelli petitionem, condemnari debet: cum in confessum non sint aliæ partes Iudicis quam in condemnando.

Præstitum autem Iuramentum Calumniæ operatur, ut quis excusetur à tacitâ & præsumptâ calumniâ, non autem ab evidenti & expressâ. Et ideo committens Calumniam, etiam in causa civili, potest criminaliter accusari, finitâ causâ.

§. IX.

De Dilationibus.

**L**ite Contestata, ac Iuramento Calumniæ utrimque præstito, solent Litigatores petere inducias & dilationes: Actor quidem ad suam intentionem probandam, Reus vero ad Actoris petitioni respondendum, & exceptionem, si quam habeat probandam.

*Est autem Dilatio Iudicialis, justum temporis intervallum, quod ad aliquem Actum Iudicalem commodius perficiendum conceditur Actori vel Reo, à Lege, vel à Iudice, vel ex conventionem partium.* Unde dividi potest in Legalem & Iudicalem, & in eam, quæ ex mutua conventionem partium conceditur, quæ ideo Conventionalis appellatur.

Legalis est, quæ à Lege (subintellige vel statuto, vel stylo Curia vel consuetudine)

Conceditur, absque ministerio Iudicis, vel  
 riganrium.

Iudicialis est, quam Iudex ipse dat, vel  
 præcepto, vel ex permissione Legis.

Conventionalis est, quæ ex Convention  
 partium competit.

Ut vero tres sunt Iudicij latè sumpti  
 tes, primâ à Iudicij præparatione, usque  
 Litis Contestationem exclusive, quæ pot  
 præparatoria est, quam essentialis. Secunda  
 Litis Contestatione, usque ad sententiam de  
 finitivam exclusive. Tertia à Sententia usque  
 ad ejus executionem inclusive: ita Dilatio  
 num Iudicialum tres præcipuè sunt specie  
 Nam aliæ in primâ Iudicij parte dantur, & d  
 cuntur Citatorix, & Deliberatorix. Aliæ  
 secunda parte conceduntur, & vocantur  
 Probatorix. Aliæ denique in tertia parte,  
 sunt Executorix.

*Citatoria dicuntur, quæ citato, seu in Iudicij  
 cium vocato dantur, ad comparendum in Iudicij  
 dicio, & ideo, si primo vocatus non veniat  
 vocandus est secundo & tertio, justo tamen  
 temporis, ut minimum decem dierum inter  
 vallo inter singulas citationes, & hodie præ  
 sum in hoc intervallo utimur stylo cuiusque  
 Curix, qui est alius, atque alius. Potestque  
 dex hanc dilationem pro rei seu causæ,*

Personarum qualitate ac conditione, & temporis locorumque distantia, augere, vel minuire, seu moderari.

Quin imo, si utique iusta & necessaria subsit causa, veluti propter viarum periculum, vel si celeritatem res desideret, potest pro tribus citationibus, uti unâ peremptoriâ. Secus est in causis gravioribus, ad privationem alicujus officij vel Beneficij tendentibus, quia in talibus non sufficit una citatio pro tribus, sed distinctæ citationes, & distincta edicta esse debent, si de Jure trina citatio requiratur. Cavendum tamen Judici, nec citatio peremptoriâ nimis breve tempus ad comparandum præfigat, maxime si de rebus Ecclesiasticis agatur, nisi urgeat necessitas, alioquin appellationi locus erit.

Quando autem quis uno Edicto, seu unâ citatione Peremptoriâ pro omnibus citandus sit, relinquatur Judicis arbitrio.

Deliberatoria Delatio est, quæ datur Reo, ut viso Libello Actoris, secum deliberare possit, an Litigare velit, vel non. Dantur vero de Jure Novellarum viginti dies à die portecti Reo Libelli Actoris, & aliquando plures, pro distantia locorum. Quinimo, ijs etiam ex alijs, varijs alijs Dilationibus locus esse potest, ut si Reus velit, Judicem ut suspen-

ctum

Etum recusare, & probare esse talem, vel in  
pugnare rescriptum, cuius vi ad incompeten-  
tem Judicem citatus est, vel quid aliud simi-  
le.

Dixi, Deliberatorias dari Reo, non etiam  
Actori, quia Actor instructus venire debet.

*Probatoria Dilatio est, qui Lite contestata  
& iuramento calumnia praestito, Actoris  
suam intentionem, & Reo ad exceptionem  
suam probandam datur, considerata locorum  
intercedente, ubi probatio facienda est. Et haec  
omnibus in causis Civilibus regulariter  
peremptoria, ac proinde non nisi semel dari  
debet in singulis Iudicij actibus, singulisque  
negotijs emergentibus. Nec ulla hac in parte  
est differentia inter Actorem & Reum, nisi  
quod Iudex longiorem dilationem dare possit  
Reo, quam Actori. Non tamen aliter Iudici  
permittitur plurius Dilationum concessio,  
quam necessariorum, non autem super-  
vacuarum, & rursus non aliter, quam causa  
cognita.*

Hinc Dilatio Probatoria, quae datur in Iu-  
dicio, semper est communis: ut si detur uni  
parti, profit etiam alteri. In Capitalibus ta-  
men Controversijs, Reo tres Dilationes, Ac-  
cusatori duae etiam causa non cognita, dari  
possunt: Excipitur tamen causa criminalis.

Aduſterij, in qua nulla Dilatio danda eſt, niſi, ut Perſonæ exhibeantur, aut Judex, negotij qualitate motus, eam cauſâ cognitâ conceſerit.

*Executoria Dilationes ſunt, quæ dantur condemnato, ad ſatisfaciendum, & ſunt quatuor menſium.* Hæ Dilationes non habent locum in Realibus, neque in Criminalibus, nam in his Executio non differtur, niſi certis caſibus.

Denique quia Dilationes hodie, & de Jure Canonico, ſunt arbitrariæ, ideo Tridentina Synodus Seſſ. 25. cap. 10. in fine admonet tam ordinarios, quam alios quoscuque Iudices, ut terminandis cauſis quanta fieri poteſt, breuitate ſtudeant, ac Litigatorum artibus, ſeu in Litis conteſtatione, ſeu in alia parte Iudicij decernendâ, modis omnibus aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

Si in prima dilatione, multi fuerint Teſtes, producti & examinati, non eſt danda, ſecunda & tertia Dilatio, quia multitudo teſtium refrænanda eſt.

Effectus Dilationis eſt, quod excuſet à Pœna & mora, & ea durante, officium conquieſcat Iudicis, nihilque ſit agendum aut innovandum, ſuper articulo, ſeu capitulo, ſuper

E

quo

quo data est, adeo, ut, si quid innovatum fuerit, ipso Jure sit nullum, nec queat valide de consensu partium. Alioquin super articulo non conquiescit officium Judicis pendente Dilatione; sicuti nec finita causa Dilationis, quia eam finitam immediate finitum Dilatio.

Secundo, is effectus est Dilationis, quod ubi dies, seu terminus ejus venit, regulariter habeat vim sententiæ interlocutoriæ.

## §. X.

*De Possessione, & Judicio Possessorio.*

**P**ossessionis definitionem, explicationem, divisionem, ejusque privilegia, in Nucleo meo de JURE & JUSTITIA cap. 5. adduxi, quo Lectorem remitto, ideoque hoc §. ea tantum, quæ ad praxin Possessorii proprie spectant, paucis explicabo.

De Possessione agitur tribus modis, & triplex est Judicium Possessorium, scilicet Adipiscendæ, Retinendæ, & Recuperandæ Possessionis: nam omnis controversia de Possessione instituitur, vel ad adipiscendam Possessionem, quam Actor nunquam habuit, vel ad retinendam, quam habet; vel denique ad recuperandam, quam amisit.